2

DISSERTATIO
INAVGVRALIS
DE
GRAMINE MANNAE,
SIVE
FESTVCA FLVITANTE,
QVAM
ANNVENTE INCLYTA FACVLTATE MEDICA
IN
ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA
VNIVERSITATE VINDOBONENSI
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT

LADISLAVS BRVZ,
TRANSYLVANO-HVNGARVS
DISPVTABITVR
IN VNIVERSITATIS PALATIO
Die 24 Mensis Aprilis MDCCLXXV.

VIENNAE,
TYP. IOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,
SAC. CAES. REG. AVLAE TYPOGR. ET BIBLIOP.
MDCCLXXV.

Deus producit fœnum iumentis et herbam seruituti hominum. Pſalm. 103. 14.

ILLVSTRISSIMO AC MAGNIFICO

DOMINO

LVDOVICO

E COMITIBVS

DE BETHLEN,

LITERARVM LITERATORVMQVE

MAECENATI,

PATRONO SVO

GRATIOSISSIMO

In perenne grati animi Testimonium has studiorum suorum Primitias sacrat dedicatque

Devotissimus Auctor.

DE

GRAMINE MANNAE,

SIVE

FESTVCA FLVITANTE.

NATVRAE IN HVNGARIAE REGNO DIVITIAE.

§. I.

Tantas Natura benignior per Hungariam quam late patet, effudit diuitias, vt si opulentissima eius Animalium, Mineralium, Vegetabiliumque regno, dona, apertioribus con-

templeris oculis, nihil quod ad vſus ineuitabilesque vitae neceſſitates, nihil quod ad amoenitatem innocuamque voluptatem deſideres, vel curioſus reperias. Nam et ſitus amoenitate excellit et foecundiore ſolo, famae celebritatem, promeruit. Hinc notum illud prouerbium: *Extra Hungariam non eſt vita; ſi eſt vita non eſt ita*. Et habent profecto cur hoc glorientur Hungari, cum nec coelo nec ſolo vlli ſecundum Hungariae Regnum. Omnia vitae commodioris ſubſidia, non ſuis ſolum incolis, ſed vicinis etiam Nationibus copioſe ſubminiſtret.

§. II. Percurre ſi lubet, et ſi te *naturalis Hiſtoriae Hungaricae* ſtudium delectat, coeli ſoliqve Pannonici naturam examina, vbique opitulantis naturae inuenturus teſtimonia, eam merito appellabis praeſtantiſſimam.

§. III. *Aër* enim *Hungaricus* montanis in regionibus herbis graminibusque elegantes veſtitis ſaluberrimus, vita longa ſanaque natos ſuos beat. Sed nec in planitie ventis frequentibus et effluuiis vegetabilium ambroſia ſuauius olentibus, refectum depuratumque aërem adeo nociuum eſſe euincit, quod tam montium incolae, quam humi-

humiliora loca inhabitantes Hungari homines faniffimi viuant et robuftiffimi.

§. IV. *Fluuiorum Hungariae* ea eft dignitas, vt locum iis Regni Infignia praebuerint, nec immerito: nulla enim Regio eft, quae aut plures aut falubriores, quam Hungaria habeat aquas, quae regionem vndique peruagantes, non irriguam eam modo reddunt; fed auro, cupro (*a*) variisqua pifcium fpeciebus ciues fuos ditant; imo medicatis viribus mortalium fubueniunt aegritudinibus. Siue enim acidulas fpiritu gazantes, fale vel metallo impraegnatas, confideres, fiue Thermas falubres toto orbe celebres (quarum Analyfes, fingulari in proximos fuos et artem Medicam amore, fedulitate nunquam fatis laudanda, aggreffus eft, et quasdam, plurimarum vera Analyfi deftitutus, cum aliis *Imperii Auftriaci* medicatis fontibus, Analyfin Chemicam iamiam expertis, Praxi Medicae adplicuit) mihi ad vltimos cineres Venerandi Praeceptoris CEL. IOH. NEPOM. DE CRANTZ induftria (*b*) vtrasque aegrorum morbis medari inuenies.

A 4 §. V.

(*a*) Math. Bel. de Aquis Vitriolaticis Neofol. Phil. Transact. 450 N. 1. art. (*b*) In tractatu de Aquis Medicatis Germanico idiomate edito.

§. V. *Solum Hungariae* mirifica parens natura, non muneribus ſolum cumulauit, ſed nobilitauit etiam prodigiis, fruſtra in aliis regionibus quaerendia. *Regnum Animale* profert *Boues* (quorum annuatim circiter 1200000. e regno aguntur) praeſtantia, *Equos* pernicitate, *ſues* magnitudine, toti orbi notos. *Sylvae* abundant *Apris*, *Ruricapris*, *Ceruis*, *Damis* &c. *Auiaria* ſuppeditant *Attagenes*, *Gauiam*, *Phaſianos*, *Tardas* in deſertis campis *Ketskemet* et alibi gregatim reperiundas. *Fluuii* alunt Piſcium innumeras ſpecies, *Antacaeos*, *Cyprinos*, *Huſones*, *Muſtelam fluuiatilem* Percas, *Truttas*, *Salmones* Hung. *Semling*, *Salmonatam* Hung. Galótza, *Thymallos*, *Sturiones* vitam in Tibiſco, Danubio et Maruſio degentes, quem tamen fluuium raro vltra 20 milliaria aſcendunt: accidit tamen, vt clymacterico horum piſcium anno 1768. ad 30 milliaria ſupra Oppidum N. Enyed in M. Tranſyluaniae Principatu vſque ad aggerem Bogáth certatim migrarent, tanta quidem copia, vt ſturiones vbique leuiſſimo venderentur pretio. Alia piſcium (in M. Tranſyluaniae Principatu hactenus incognitorum) migratio, quam per tranſennam notaſſe liceat, contigit anno 1770 in Samuſio fluuio, credebatur in Patria, ha-

le-

leces ex mari Balthico, per subterraneos anfractus in Samusium deuolutos esse, qua ratione eo delati fuerint? ignoro: scio tamen certissimis ex relationibus, hos pisces externo habitu halecibus simillimos, carne tenerrima et delicatissima praeditos (fors maceratione in muria in haleces conuertendos) ingenti copia eo tempore captos, nec vnquam alios similes pisces visos fuisse. Vtroque in casu variae fatidicarum vetularum auditae sunt hariolationes, fauente tamen coelo, nunquam effectum sortiturae.

§. VI. *Regnum Minerale*, praebet metalla tam nobilia quam ignobilia, *Aurum*, *Argentum*, *Ferrum*, *Cuprum* varias eius species, cuprum sulphure mineralizarum solidum, Ochram cupri viridem, Caeruleum montanum Cl. de Born. (c) Corpora Metallis affinia, *Antimonium plumosum*, *calcem antimonii*, *Mercurium*, *Cinnabarim*, *Auripigmentum crystallizatum*, *crystallis polyedris* Id. l. c. *Salem* profert fontanum, gemmae, Mirabilem Glauberi, Natrum Cl. de Pazmandi (d). Regnum Lapideum habet Lapides cum pretiosos, tum non

A 5 vbi-

(c) Briefe über mineralogische Gegenstände.
(d) De Natro Hungariae haec dissertatio edita est in Fasciculo 1. operum minorum Medicorum per D. F. X. de Wasserberg Viennae 1775.

vbique obuios. Carbunculum, Topafium, Opalum, Rubinum, Granatum, Bel (e) de Born (f) Afbeftum, Alabaftrum, Marmorum diuerfitatem, Pumices, Lapides fuillos, Stalactites Bel (g) *Succinum inuenit Celeb.* Iacquin.

§. VII. *Regnum vegetabile* fuppeditat *Taxum* in montibus Carpathicis, *Herbas*, medicatis viribus impraegnatas, pro potu vina dulcia, odore, colore faporisque excellentia nobiliffima, effentiam ex vuis maturiffimis paratam *Ausbruch*, *Afszuszolo-Bora* et omnibus adamatum *Tocaiiense Nectar* toti orbi fubminiftrat. Habet fructus horaeos *Melones aromaticos*. Citrullos &c. Profert grana *Mayis*, *Secalis*, *Tritici* ciuibus et vicinis fufficientia. Recentiffimis experimentis etiam fcimus, folum Hungariae, Oryzae culturam non tantum admittere, fed eam fatam copiofe proferre. Sedulus enim Italus *Signore Limoni* anni proxime elapfi vere quatuor Italicarum familiarum comitiua in comitatum Hungariae Transtibifcanae Temesvariensem, alias Banat dictum, Regio indultu defcendens, iuxta pagum (de fuo nomine tandem ita di-

(e) Prodrom. Hung. (f) l. c. (g) l. c.

dictum) *Limonidorf*, decem modios — 280 libras Oryzae Mediolano adlatae successu certe felicissimo terrae mandans, mense Augusti eiusdem anni 186 Modios Oryzae obtinuit. Nec mirum terram nostram adeo fauentem Oryzae fuisse, cum plantam, huic maxime adfinem Gramen Mannae copiosissime ferat.

§ VIII. *Gramen Mannae* paucis descriptum Botanicis variis insignitum est nominibus, a loco natali desumtis: alii enim *Mannam Polonicam*, alii *Borussicam*, *Francofurtanam* alii, *Prutenicamque* nominauerunt; nec vllus, quantum noui, Mannae Hungaricae mentionem fecit. Cum vero eam solum Hungariae maxima copia sponte proferat, non inutilem laborem futurum existimaui, accuratiorem GRAMINIS MANNAE Historiam describere.

§ IX. In describenda nostra planta, vt eo meliorem possim obseruare ordinem, dabo *primum* Plantae descriptionem, *deinde* Sexum determinaturus, nomen genericum adponam rationemque denominationis variae reddam, *tum* differentiam, locum natalem, varias de origine hypotheses indicabo; *post* tempus fructificationis, culturam in diuersis regionibus adhibitam, notam faciam, *tandem* Analysin Chemi-

micam, Vires Herbae, Granique aperiam; *denique* vsum tam Oeconomicum quam Medicum detegam.

PLANTAE DESCRIPTIO.

§ X. *Radix* perennis, reptat geniculata, albida, fusca, ex cuius geniculis in terram palustrem coenosam profunde demittuntur fibrae capillares albae, fuscae quandoque nigricantes. Ex his primo Vere sparguntur foliorum in obtusiusculum mucronem terminatorum, aquisque innatantium fasciculi. Post surgunt Culmi.

Culmus herbaceus pro indole aquae in qua crescit, et natura limi, cui radiculas immittit, admodum variabilis longitudinis 1. 2. 3. cubitos longus et vltra. Tribus quatuorue geniculis distinctus, ex quolibet articulo sub foliis ad genicula enatis verticillatim copiosas, longasque profert fibras ramosas, inferior culmi pars, qua limo insigitur, albicans est, et multos emittit ramos. Apex culmi reflexus, nitidus, laete viridis, sine ramis, nodi fusci et laeves, maturo culmo rubelli. In genere culmus est compressus, digonus, laevis, striatus, ramosus, septem, octo paniculis instructus. Hunc

Folia quatuor aut quinque inuestiunt. 3. 4. vncias longa, frequenter etiam semipeda-

pedalia, aut paulo longiora quandoque sunt (in iis autem, quae solo quidem coenoso, humido, sed non ad aquas ipsas crescunt, biuncialia et sesquiuncialia tantum et angustiora) vna cum dimidia lineas lata, debilia, glabra, viridia, leniter striata, in margine nonnihil crennlata, hinc superne et inferne, et ad margines si deorsum stringantur aspera. *Vagina* compressa laeuis: dilute viridis, culmum successive totum quasi contegit, vaginae striatim, et si digiti sursum ducantur, plerumque asperiusculae sunt, et ad internam foliorum basin, in membranulam tenuem obtusam membranaceam ex albido subdiaphanam, lineam vnam circiter longam finiuntur.

§ XI. Summo culmo insidet *Panicula* longa, lata, ramosa, nunc magis, nunc minus sparsa, semipedalis, spithamalis et pedalis, quandoque longior, ramulis alternatim e culmo sinuato et sulcato, nunc paucioribus nunc pluribus vno eodemque loco inaequalibus interuallis oriundi. Pedunculus terminalis nonnihil reflexus, semiteres, laeuis. Pedunculi axillares oppositi, parum antrorsum flexi, solitarii, geminati et inaequalis longitudinis expansi, e quolibet pedunculo inferius, vnus, duo petioli inaequales, spicati, erecti exsurgunt,

gunt, circa tempus efflorescentiae communiter pedunculi longiores, et ad rectum expanduntur angulum. Hoc tamen non semper contingit: nam in quibusdam paniculis pedunculi axillares non sunt remoti a terminali.

Locustae alternae, spicaeformes, decemflorae, teretes tenues, quae apertis locustis et in sicca planta disticham frequenter formam induunt, 5. 6. 7. lineas longae, dum teretes adhuc et clausae sunt, angustiores apertae lineam vnam cum dimidia aequantes. Locustae maturitate pleniore folliculos suos ita deponunt, vt quandoque nihil nisi calyx aut vnus alterue remaneat folliculus, aliamque tunc veluti formam, aliamque graminis speciem Mannae Gramen mentiatur.

§ XII. *Calyx* constat duabus *glumis* inaequalibus, tenuibus membranaceis breuibus, in obtusum mucronem terminatis, quarum exterior maior, latior; lineam vnam longa aut paullo longior, inferior linea breuior, angustior, apice fisso, maturae distiae fiunt. In ea specie autem, quae coenosis non aquaticis locis surrecta prouenit major calycis gluma, lineas fere duas longa, minor linea paullo longior. Ex harum sinu exsurgit

Sca-

Scapus cui alterno situ et interuallo lineae circiter dimidiae adnascuntur folliculi biglumes, octo nouem, decemue, lineas duas longi, quarum glumae exteriores virides striatae, in obtusum membranaceumque ex albido subdiaphanum mucronem terminantur, interiores crassiusculae, rigidiusculae, mucronatae, quasi planae, aliquatenus tamen versus exterioris cauitatem inflexae et concauae, linea crassiuscula earum cauitatem terminante.

§ XIII. *Corolla.* biualuis, valuula inferior maior, figura calycis, magnitudine calycem superans, teretiuscula, acuminata, in aristam rectam desinens.

Nectarium est rotundus, planus, crassus, succulentus in medio parum excauatus, dimidiatus discus, qui perpendiculariter extrorsum sub capitulo haeret.

Stamina. Filamenta tria, capillaria, corolla breuiora. *Antherae* oblongae.

Pistillum. Germen. turbinatum, *Styli*, *duo* breues, reflexi. *Stigmata* simplicia.

Pericarpium. corolla arctissime clausa adnascitur nec dehiscit.

Semen vnicum, tenui-oblongum, vtrinque acutissimum, longitudinaliter fusco notatum, compactum cortice fusco instructum,

quo

quo priuatum fubftantia farinacea, fapore dulci grato flauicans eft et transparet.

SEXUS DETERMINATIO.

§ XIV. Syftema fexuale (quod ab Illuftriffimo Equite CAROLO LINNAEO REGIS SVECIAE ARCHIATRO inuentum et adeo pulcre adornatum, confirmatumque eft, vt vix non ab omnibus Botanices cultoribus, vnanimi confenfu receptum fuerit) defumitur ex omnibus fructificationis plantae partibus; non tamen fine difcrimine: quaedam enim CLASSES aliae ORDINES determinant.

Secundum hoc fyftema fexuale, in examine plantarum ad determinandas claffes et detegendos ordines tria fequentia obferuari folent, *primo* fcilicet an flos fit Hermaphroditus? *fecundo* quis fit ftaminum, a quibus claffes defumuntur, numerus? fitus? quae proportio? quae figura? *tertio*, quot fint piftilla? quae ordines plerumque determinant, quorum tamen numerus, non ex germine, neque ex ftigmatibus, quae hic in confiderationem non veniunt, fed ex ftylo determinantur, vti haec docte et fummo cum Auditorum emolumento aeftiuis horis tradit, mihi per omnem aetatem colen-

lendus Celeberrimus D. NIC. IO. NOB. DE IACQVIN, *Chemiae et Botanices Professor*, in splendidissimo horto Botanico Regio, quem in magnam Botanophilorum vtilitatem AVGVSTISSIMA IMPERATRIX erectum coli iubet. His praemissis

Ex descriptione plantae § XIII. data, patet *primo* GRAMEN MANNAE habere flores Hermaphroditos, quia stamina et pistilla in eodem flore gerit, *secundo* in quolibet flore adesse tria stamina, *tertio* duosque stylos conspici. Pertinere itaque GRAMEN MANNAE ad TRIANDRIAM DYGINIAM, et quia omnes FESTVCAE (cuius calyx biualuis, spicula oblonga, teretiuscula, glumis acuminatis) et quidem FLUITANTIS (quae est festuca panicula ramosa, erecta, spiculis subsessilibus teretibus, muticis) notas prae se ferat, ad FESTVCAM tanquam ad Genus, et ad FESTVCAM *fluitantem* tanquam ad speciem merito refertur.

§. XV. Diu inter Botanicos quaesitum est, quo de Genere Graminis, *Mannae* defumatur gramen? Veteres Botanici omnes a Panici quadam specie deriuarunt. Panicum Germanicum seu Panicula minore appellauit *C. Bauh.* (*h*). *Moris.* (*i*). Panicum

 Ita-

(*h*) C. B Pinax 27. (*i*) Hist 3. p. 188. t. 3.

Italicum, siue Panicula maiore *C. Baub. Moris.* l. c. *Gramen Dactylon esculentum dixit Matbiolus* et post eum praeter nunc statim citatos Auctores *Pancouius.* (*k*) *Elsholtz* (*l*) *Ledel* (*m*). Alii pro singulari Genere descripserunt, ut *Schwenkfeld*, qui (*n*) *Gramen Mannae* 2. *Dod* vel *Panicum Crus Galli* pro vero Gramine Mannae describit. D. Lösel (*o*) *Gramen Paniculatum pratense* appellat. *Cl. D. Bergen* (*p*) nouum Genus condit et Dactylon Linnaei *Marchicam esculentam* pro gramine *Mannae Francofurtanae adbucdum profert*; nouissime vero *Cl. D. Wiegand* ad Hordeum refert (*q*) eius autem in linguam Hungaricam translator *Cl. D. Samuel Szilágyi* (*r*) ad Iuncos relegat.

§ XVI. An Mathiolo praeeunte successores Botanici in errorem inducti sunt? videntur vel non cognouisse plantam vel ex solo habitu iudicasse. Si quis enim recensitarum specierum graminum characteres cum Festuca Fluitante, quam verum Mannae gramen esse § XIII. § XIV. ostendi, conferat,

(*k*). in Herbario. (*l*). Elsholtz Horticultura. (*m*). Ledel succincta Mannae excorticatio. (*n*) Schwenkfeld in Catal. stirpium Siles. p. 88. (*o*) in Fl. Prussica (*p*). in Fl. Francofurtana (*q*). Wiegand Agricultura Austriaca § III. § XXXVIII. (*r*). Sam. Szilágyi in notis ad libr. et § nunc cit.

ferat, videbit, haec a se inuicem multum, quaedam toto coelo differre. Eamus per fingula. Panicum non eft; panici enim calyx triualuis, vniflorus, noftri vero graminis biualuis multiflorus § XIII Dactylis gluma vniflora aut biflora, fubrotunda; gluma Feftucae eft multiflora. Hordei calyx lateralis vniflorus. Iuncus eft in Hexandria Monogynia. Praeterea fi grana Mannae in Hungaria, Polonia, Pruffia alibique collecta terrae mandes, nihil aliud quam Feftucam Fluitantem obtenturus es. Hinc celebriores Botanici CL. LINNAEVS (s). ILL. HALLERVS (t) CL. REYGER (u) HELVING (x) eam ad Feftucam Fluitantem retulerunt.

NOMEN GENERICVM.

§ XVII. Feftuca panicula ramofa, erecta, fpiculis fubfeffilibus, teretibus muticis *Lin. Flor. Suec.* 90.

Gramen Aquaticum fluitans multiplici fpica *C. B.*

Poa locuftis teretibus multifloris,

B 2 glu-

(s). Linnaei Genera plantar. p. 32. Species plant. p. 75. (t) Halleri Stirpes Heluetiae n. 1453. (u). Reyger Flora Gedan. p. 702. (x). Helving. Fl. Pruff. Suppl.

glumis floralibus exterioribus truncatis, interioribus bifidis. *Haller stirp. Helv. n.* 1453.

Poa spiculis decemfloria teretibus rachi adpressis, racemis binatis, secundis, patulis, *Scopol. p.* 1. *p.* 65. *Fl.Carniol.*

Gramen Phalaroides fluitans, aquaticum multiplici panicula. *Monti prod.* p. 46. f. 35.

Gramen paniculatum aquaticum fluitans *Tournefort.* Gramen Miliaceum aquaticum Brizae locustis, semine rufo. *Barrel. Icon* 7. *Tab.* 4 *f.* 5.

Gramen Mannae esculentum Prutenicum *Losel.*

Gramen fluuiatile *Tabernaemont.*

Gramen loliaceum fluitans spica longissima *Moris. Hist.* 3. p. 183.

Gramen aquis innatans *Lobel Icon I.*

Poa spiculis oblongis erectis *Linn. Hort. Cliffort.* 28.

DENOMINATIONIS RATIO.

§ XVIII. Mannae gramen Anglis audit *Floa Graes.* Gallis *Manna.* Polonis *Manna Kafza,Polska.* Suecis *Svin-fvingel,* in Scandia *Gas Gras* dicitur. Hungari vocant *Harmat-kása, Manna-kása,* Pultem roris vel coelestem

leftem, *Boszorkány-Kása*, fora ideo, quia illi, qui primum feminis huius collectionem viderunt, ignari, quid mulierculae, fummo mane vel vefperi in aquis alte cinctae incerniculis manibus prehenfis agerent, fagarum falfa, fed iam exauctorata opinione pleni, femellas induftrias, genuinaque pietate ornatas, impias fagas, collectumque ab iis femen *Pultem fagae* falutarunt. Germani appellant *Enten-Gras, Schwaden-Gras, Himmel-Thau*, fors inde, quia rore adhuc madido, gramine, femina colliguntur, vel quia primi denominatores femen mannae roris inftar herbis adhaerere crediderunt.

§ XIX. Hac occafione aequi bonique exiftimo Publico notum facere: Maffam illam, quae Viennae apud *Aromatarios* et *Rhizotomos*, vulgo *Greisler* fub nomine *Himmel-Thau* caro fatis pretio vendi folet, et a quibusdam Medicis, aegris, magno certe eorum detrimento in cibum praefcribitur, non effe verum Graminis Mannae femen. *Cel. Ioh. Iacobus de* Well, *Naturalis Hiftoriae in Vniuerfitate Vindobonenfi Profeffor*, fufpicatur hanc maffam confici ex farina alicuius cerealis in pultem coacta, exficcata etcribro raptata et recte. Inueni tamen praeterea etiam hordeum in grana minima comminutum fub hoc nomine vendi. Vtrumque

 verum

verum esse docebunt sequentia. Aromatarii duplicem vendunt Mannam *Himmel-Thau* baptizatam, grossiusculum, *Gröberer Himmel Thau*, tenuius et compactius est, quod *Feinerer Himmel-Thau* appellitant. Rhizotomorum plures a prioribus emtum manna vendunt, alii vero prorsus dissimile. Duriusculum Aromatariorum Manna, infudi aqua tepida, obtinui statim lac farinaceum, crudum, nauseosum, sedimentum dedit gluten conglutinandis libris aptissimum. Alterum eiusdem farinae Manna solutum, eadem exhibuit producta. Manna Rhizotomorum dissimile, diu maceratum aquam non turbauit, sed post longam etiam digestionem, eadem quae imposueram obtinui grana, sapore hordeo prorsus simillima. Rogaui non paucos Aromatarios quam humanissime, vt natalem Mannae suae locum, vnde per commercia acciperent, vel modum conficiendi, si sponte non cresceret, aperirent. Negauere omnes, persuadere conantes, hoc esse cereale donum, a natura ita productum, nec aliud sub coelo Manna reperiundum. Hoc vero illi Venetiis, hi Norimberga, Salisburgo alii acceptum, afferere non dubitauerunt. Tandem ad quendam festiuiorem deuolutus, didici Mannam

nam baptizatam non esse genuinum naturae productum, nec ex nominatis locis Viennam aduehi; sed in suburbiis Viennensibus ex farina cerealis confici. Hic olim vera manna multum delectatus, delicatissimi cibi saporem nunc etiam in lingua habebat. Manna Rhizotomorum dissimile, in Austriae molendinis, ex hordeo conficitur.

DIFFERENTIA.

§. XXI. Festuca fluitans a *Tritico*, non flore, sed sede floris in petiolis ramosis differt. A *Poa* multam euidenter, a *Bromo* adeo obscure, vt nihil supra Ill. Haller. (*y*).

Magna graminum affinitas, historiam graminum olim obscuram, nunc difficilem reddens, effecit, vt plura gramina, Mannae nomine insignirentur; quae tamen veri graminis Mannae characteres non possident. Sic *Mathiolus* meminit, Mannae, quod *Germani Himmel - Thau* vocant. (*z*) *Tabernaemontanus* (*a*) duplicem describit

 Man-

(*y*) Scheuchzeri Agrostographia curante Alb. ab Haller in appendice III. p. 64. (*z*) *Mathioli* Epistola ad Hieronymum Heroldum. (*a*) Tabernaemont. Herbas past. 527.

Mannam, ſylueſtrem et ſatiuam. Nullum vero horum graminis Mannae, ſeu Feſtucae fluitantis notas prae ſe fert. Nam vtriuſque Manna non eſt aliud, quam *Panicum ſanguinale ſpicis digitatis, baſi interiore nodoſis, floſculis geminis muticis, vaginis foliorum punctatis. Linn.* quod Italis *Capriola*, Anglis *Cocks-foot*, Germanis *Blut-Hirſche*, *Hirſch-Gras*, *Blut-Gras*, Bohemis *Roſa*, Hungaris *Tatárka*, Sclauis *Pes cornicis* audit, circa Veronam hoc gramen *ſpergula* dicitur, circa Florentiam *ſanguinella*, quia ſpicae compreſſae naribus impoſitae ſanguinem eliciunt. Hoc Gramen copioſe creſcit in ſeptentrionalibus Germaniae Prouinciis, non tamen vltra 56. grad. 10. min. viſum eſt. Inuenitur etiam in calidioribus regionibus, in *Italia*, *Aſia*, *Virginia*, *Jamaica*, in *Mediae Arenoſis*, *Buxbaum* (*b*) *Linn.* (*c*) Haec planta tempore *Mathioli Goritii* in Carniolia culta noſtro tempore negligitur. (*d*) *Scopoli*. In Polonia cum G. Mannae promiſcue colligitur. Semen papiraceae ſed firmae glumae incluſum oblongum tranſparens, hinc conuexum inde ſulcatum. Magna copia colligitur in Bohemia, vnde

(*b*) Buxbaum Cent. Plant 5. p. 34. (*c*) Linn. Fl. Sueca, p. 527. (*d*) Scopol. Fl. Carniol. p. 168.

vnde Viennam, rariori tamen fortuna, adferri solet.

LOCVS NATALIS.

§. XXI. Festvca Flvitans crescit tam fluentibus quam stagnantibus in aquis, in littoribus fluuiorum, in riuis eorumque exsiccatis alueis, in humidis non tamen paludosis pratis, fere tota in Europa. Prouenit enim in omni terra, quae semel ad minimum in anno aqua inundata fuit, vel humidiore situatur loco: humidum enim, gramen Mannae adeo affectat locum, vt extra illud non crescat, imo saepe radicitus pereat. Hinc copiosior obtinetur Manna in annis humidioribus, qualis erat annus 1772. sequentibus vero annis 1773. 1774. parua admodum quantitas in Hungaria collecta est; quia Ver in his annis admodum siccum gramini Mannae minus fauens, nonnisi in marginibus lacuum et limosis in locis inueniebatur. In lente fluentibus aquis, saepe tanta copia prouenit, vt aquae fluxum remoretur. Festucae nostrae propagatio adeo felix et foecunda est, vt spatio trium, quatuorue annorum, saepe breuiori etiam

tempore, totum alueum impleat. In locis inundatis, et pratis humidioribus, vbi gramen Mannae non adeo profunde sub aquis haeret, Festuca fluirans ex omni parte minor est: quo vero aqua, in qua crescit altior est, eo pluribus instruitur foliis, eoque est longior. Cl. SCHREBER (e).

§. XXII. Prouenit Festuca nostra fluitans, in *Polonia*, *Prussia*, *Silesia*, *Dania*, *Heluetia*, *Hungaria*. Poloniae variis Prouinciis frequens; sed praecipue in Palatinatu *Sandomiriensi* minoris Poloniae colligitur, inde et ex Varmia Gedanum etc. mittitur, parte notabili Populis externis, porrigendum per mare *Rzacinski* (f). In tractibus nouae et mediae Marchiae prope Wiadrum decliuioribus et Pomeraniae confiniis, BERGEN. (g) in Silesia, *Elsholtz* (h) in aliquibus Daniae Sueciaeque locis *Linn.* (i) circa Tigurum in Heluetia, *Scheuchzer* (k) maxima copia prouenit Dantisci, *Simon Pauli* (l) in Hungariae comitatibus, *Szathmár*, *Abaujuár* etc. Semen in Hungaria collectum volumine longe superat Polo-

(e) Schreber Gram. (f) Rzacinski Hist. Nat. Poloniae p. 97. (g) Bergen Flora Francof. p. 321. (h) Elskoltz horticultura p. 367. (i) Linn. Skonska Resa. (k) Scheuchzer Apo stographia p. 200. (l) Simon Pauli Quadripartitu m Botan.

Polonicum. Sunt plures Regiones etiam, quae gramen Mannae copiose proferunt, in quibus semen sufficienti quantitate posset colligi, nisi gramen tempestiue in foenum desalcaretur, vel secus negligeretur.

ORIGO.

§. XXIII. Variae de Mannae origine leguntur auctorum Hypotheses. *Vallesius* (m) eam Mannae Hebraicae speciem dixit. Alii ex vapore vi caloris in aere condensato deriuant. *Kekermannus* auctoritate *Zahnii* scripsit (n) Mannam herbis de noctu instar roris incumbere, et ex rore gigni. Forte hac ex opinione repetenda Mannae denominatio §. XVIII. Sed Vallesii hypothesin refellit summa Mannae Hebraicae a nostra differentia. Illa die Sabbathi nunquam cadebat, nostra a quo tempore legitur, quotidie colligitur. 2. Illa toto anno, singulaque nocte, excepta illa, quae Sabbathum antecessit diem, cadebat; nostra aestate solum et certo prouenit tempore. 3. Illa altero vel tertio die scatebat vermibus, computrescebat, haec per annos

(m) Valles. Sacr. Philosoph. (n) Kekeramnn. Syst. Physic. L. VI. cap. X.

nos fine corruptione feruatur. Nec videtur Mannae materiem ex vaporibus ope caloris concrefcere: vapores enim folo frigore condenfantur, calore coguntur nunquam. *Kekermannum* fabulofa cuiusdam Poloni narratione delufum fuiffe, docet falfa, et inconftans eius de Manna opinio, quam nunc concretum roris, nunc roris vitium ex craffo putrefactoque rore in frugibus nafci, ex Tripode quafi pronunciat. Nos vero certiora edocti, fcimus tam Polonicam quam aliarum Regionum Mannam effe gramen, cuius femina fenfim adolefcendo maturefcunt. Nec obferuatum eft alicubi, quum antea non legeretur, poftea collectum fuiffe, quam tamen, fi Manna concretus ros effet, vbique grani ne rore madido obtenturi effemus.

FRVCTIFICATIONIS TEMPVS.

§. XXIV. Quamprimis pulfo brumae rigore iucunda coeli temperies imperat, pratorumque amoenitate vernat alma tellus; Feftuca etiam noftra Fluitans flore fuperbit triticeo, quos, menfe Maio fpicari incipiens, per totam aeftatem ad ferum ufque auctumnum profert. Semina non fimul et femel, fed vario admodum tempore

pore ad maturitatem perueniunt: nam culmus aliquando duorum triumue pedum, ramis confertis, panicula instructus, cum fit; fit vt paniculae inferiores, longe ferius, duobus, tribus, quatuorue feptimanis, quam fuperiores maturefcant, ita quidem, vt dum inferiores ad maturitatem perueniunt, fuperiores iam decidant, calyce fola, vel folliculo etiam hinc inde relicto. Hinc eft, quod femina diuerfis admodum vicibus Menfe Maio, Iunio, Iulio et Augufto colligantur.

CVLTVRA.

§. XXV. Quandoquidem diuerfum adeo maturationis tempus impediat, quo minus graminis Mannae femina meffe colligi queant: aliam colligendi methodum excogitauit Agricolarum fedulitas, quae variis in Regionibus varia eft. Proferam *Hungaricum*, *Polonicum*, et eum, quo in *Scandia* vtuntur, colligendi modum.

In Hungaria, referente *Cl. D. Gabriele Pázmándi*, *Phyfico Szathmarienfi*, fequenti colligitur modo; Menfe Maio, quo graminis Mannae femina ad perfectam maturitatem perueniunt, matutino, vel (quod tamen rarius contingit) vefpertino rore

exeunt

exeunt femellae, quae alte cinctae sumunt in manibus incerniculum, quo in laeuam et dextram verso, paniculam ita concutiunt, vt eius glumae in incerniculum cadant, quas in saccos collectas, ad aedes suas portant.

Gramine rore madido semen hocce colligitur, non ideo quasi solis calore exsiccatum semen excideret; alias vesperi colligi nihil posset: sed praecipue ideo, quia eo tempore glumae rore grauidae, dirctius in incerniculum cadunt, cum siccae ob summam leuitatem auolant, et pereunt. Praeterea roris huius singularis qualitas, seminis collectionem mirum in modum facilitat: dulci enim et mellea eius tenacitate efficitur, vt semina in incerniculum incidentia, eius fundo lateribusque adhaereant, nec sub ipsa collectione excidant.

Glumas sufficiente quantitate collectas in dolium, vel aliud quodcunque vas coaceruant, vt per tres quatuorue dies incalescant, tunc glumas exsiccant, exsiccatas leniter tundunt, sicque a paleis separant; tandem sabulo addito semen denuo tundunt in alueo, sic liberatur a folliculo, in quo antea inclusum haerebat. Sabulum vero a semine ope incerniculi secernentes semen

ad

ad eum statum, in quo vendi solet, euehunt.

In annis fertilioribus, libra vna seminis Mannae septem crucigeris distrahitur: ordinarie duodecim crucigeris vendi solet. Hoc in anno vigesimario emitur.

§. XXVI. In Polonia sequens est colligendi modus. Circa finem Iunii, maxime Mense Iulio, ante solis ortum, gramine adhuc rore madido, incerniculo ex pilis equinis parato, huc illucque moto, Gramen Mannae tangitur, vt semen in illud incidat. Cum sufficiens granorum copia collecta est, effunditur super linteum album, et per quatuordecim dies siccatur. Semen bene exsiccatum, interposito stramine vel arundine effunditur in mortarium, in quo tandem pistillo ligneo moderate tunditur, vt glumae secedant. Hoc facto ventilatur, et ab haeterogeneis depuratur. Ad haec semen denuo cum floribus Calendulae, vel foliis pomi, coryliue statim in mortarium impositis, mixtum tamdiu tunditur, donec fuscus cortex etiam separetur, et granum suum adquirit splendorem. An flores calendulae conferant aliquid ad exaltationem coloris? hoc potius ab ipsa imaginatione pendet. Quando semen debitum candorem obtinuit, ventilatione perfecte

fecte depuratur, et fincerum, menfarum vfibus aptum redditur. Eodem conficitur modo in Pruffia, Marchia, *Löfel.* (*o*) *Rzacinski* (*p*).

§. XXVII. Longe operofiore methodo praeparatur Manna in Scandia, quae iuxta defcriptionem Cel. LINNAEI (*q*) fequenti peragitur modo: Dum femen peruenit ad iuftam maturitatem, quam poft S. IOANNIS diem menfe Iulio obtinet, colligitur ope incerniculi, quod vnius vlnae latitudinem habet, et tam paruis foraminibus pertufum eft, quae femina mannae tranfire nequeant. Prehenditur fcilicet incerniculum ambabus manibus, prope ad fe inuicem pofitis, ita vt quatuor digiti intra marginem, pollex vero extra eum haereat. Hoc incerniculum fummo mane gramine rore adhuc madido, vel ftatim poft pluuias iuxta maturas paniculas ex vno latere in alterum latus fertur, alliditur paniculae, ficfemen glumis, folliculoque inclufum, cadit in fubincerniculum. Hac ratione in locis fertilioribus poffunt duo homines fpatio duarum horarum

(*o*) Löfel. F l. Pruff. p. 108. (*p*) Rzaczinski Hift nat. Polon. p 97. (*q*) Linn. Skonska Refa.

rum integrum feminis mannae modium colligere. Grana collecta, fuper pannum calori folis exponuntur et ficcantur, feparatio et depuratio a glumis et cortice, qua tandem manna pellucidum et flauum colorem obtinet, fit in mortario ligneo, quod eft ex trunco quercus; perpendiculariter elaboratum, rotundum vel octangulum vas, fefqui vlnaa altum, duos cum dimidio quadrantes latum, cum rotunda oblonga, inferius anguftius decurrente excavatione, in orificio duos quadrantes latum et tres profundum. Huc pertinent duo bacilli ex faga tornati, qui in vtraque extremitate aliquantulum acuti funt, tamen fubrotundi, tamque craffi, vt duobus digitis vix amplecti poffint; caeterum duas vlnas longi, et in medio, vbi ambabus amplectitur manibus, tenuius elaborati.

Dum femen tundi debet, fubfternitur ftraminis minutim fciffi (Germ *Häckerling*, *Kak*, Hung. *Szatska*) manipulus mortarii fundo, fuper hoc infpergitur manipulus exficcati feminis mannae; huic fuperponitur alterum ftraminis ftratum, cui denuo femen adfpergitur, tunc duae ex oppofito ftantes perfonae bacillis quam citiffime poffunt, femina cum ftramine ftratim impofito mixta tundunt; hocque tamdiu con-

 tinuant

tinuant, donec glumae secedant. Semen ita tusum praeterea mouetur, et ventilatur. Quando feminibus hac arte depuratis nigra obtinentur grana, sumitur straminis minutim conscissi manipulus et imponitur mortario, super hoc inspergitur manipulus grani nigricantis, tum iterum stramen conscissum sternitur, super quod alter manipulus grani nigri spargitur; haec tandem manipulo straminis conscissi leguntur, quae simul tamdiu tunduntur, donec niger cortex totus secedat, tunc grana etiam ventilatione depurantur. Si grana non aequabiliter flauescant, iteratur operatio, cum stramine conscisso, idque tamdiu, donec semina integre flauescant, et pura fiant.

In operatione obseruandum est *primo*, vt tusio fiat, in medio et fundo mortarii, 2. bacilli non sunt vltra medietatem mortarii eleuandi, ne grana exiliant et ad latera auolent, quod praecaueri posset, si exiguus margo ad orificium mortarii conficeretur.

Hac methodo ex modio seminis depurati et in glumis contenti duae Cannae Alicae obtinentur.

ANA-

ANALYSIS CHEMICA.

§. XXVIII. Seminis Mannae in Hungaria collectae vncias sex immissi Retortae vitreae, adposito excipulo, fissuris bene clausis, calore Balnei arenae, breui obtinui aquam limpidam, sapore farinaceo praeditam. Aucto igne prodiit spiritus acidus, qui ab adfuso oleo tartari per deliquium non efferbuit; syrupum violarum rubello colore tinxit. Calore intensiore destillauit oleum empyreumaticum odore foetidissimo. Carbo residuus niger, leuissimus, vncias duas, cum semisse ponderauit, qui elixiuiatione, salis alcalini praebuit indicium, semen igne aperto combustum syrupi violaceum colorem in viridem mutauit.

§. XXIX. Mannae eiusdem libram vnam in puluerem contusam, aqua in pastam coactam, imposui vasi terreo, cylindrico vitrato, tunc superaffusa sufficienti quantitate aquae, calore temperato foui. Massa post 24. horas motu intestino agitata attollebatur, multisque bullulis in superficie conspicuis, *Helmontii gas syluestre* spirabat. Fermentata massa, cucurbitae vitreae imposita calore ebullitionis dedit

liquorem pellucidum, parum tamen ſpirituoſum.

VIRES HERBAE GRANIQVE.

§. XXX. Gramen Mannae maxime radix, reſoluit, deobſtruit, diureſin mouet. Grana vero laudantur vi nutriente, demulcente, inuoluente, *Valerius* (r). Oryzae in omnibus ſimilem habet. Illa tamen facilioris digeſtionis eſſe pronunciat *Schwenkfeld* (s) quia minus inflat, minusque adſtringit. *Rzaczinski* Mannae vſum cum oryza et milio conuenire, aſt magis accomodatam eſſe ſcribit (t) quia aliquantulum refrigerat. *Simon Paulli* (u) negat mannae vim adſtringentem et exſiccantem, eam potius facillimae digeſtionis, refrigerantem, et aluum liberiorem ſeruantem affirmat. *Elsholtz* (x) cum Dioſcoride milio ſimilem frigidum in primo gradu et ſiccum in ſecundo gradu credit eſſe.

VSVS

(r) Valer. in Muſaeo Muſcorum. (s) Schwenkfeld Catal. Stirp. Siles. p. 88. (t) Rzaczinski Hiſt. Pol. Natur. p 97. (u) S Paulli Quadripart. Botan. (x) Diaet. l. 1. C. 3.

VSVS GRAMINIS OECONOMICVS.

§. XXXI. Gramen Mannae est vtilissimum pabulum equorum, qui hoc auide vorant, eoque optime nutriuntur. Agricola *Anglus D. Dean*, solo gramine Mannae ex locis continuo aquis inundatis, in quatuor agris crescentibus, cum pauca *Agrostis albae*, quantitate mixto, a mense Aprili ad Auctumni finem, quinque operarios equos pauit, nihil aliud in pabulum exhibens; nec tamen potuerunt gramen hocce, quo multum delectabantur, consumere. *Stillingfleet.* (y) Non minori appetitu in hoc gramine feruntur sues, vnde etiam nomen suecicum *Sum-Swingel* obtinuit. Forte fortuna vidit *Celeb. Kalm.* (z) vt inediam famemque depulsuri porcorum greges, remote in aquis vadantes, Festucae fluitantis folia carperent, auideque consumerent. Dein idem saepius obseruans, cum videret hocce gramen belluarum palato adeo arridere, iussit ex Festuca fluitante paruos fasciculos colligi, quos exsiccatos dum illis proiecisset, expertus est, sues non minori ad-

C 3 peti-

(y) Stillingfl. Misc. Transact. §. 386. (z) Kalm *Wesg. Gotha Resa.*

petitu gramen hocce voraſſe, quam optimum foenum ſolent equi conſumere.

VSVS GRANI CVLINARIS.

§. XXXII. *Cnapius* (a) in tractatu de gramine Mannae obſeruat ex Martiali vocem *Sovad* tantum valere ac *Nitor Culinae*, nec inconcinne: quandiu enim Manna in culina habetur, non tantum eius decus eſt, ſed aptum etiam eſt delicatiorum appetitum, ſameuque ſedare. Varia ex Manna ciborum genera parari poſſunt, magis tamen in pultaceis, quam in paniſiciis, menſarum inſeruit vſibus. Lacte vel pingui iure decoctum dat edulium gratum, ſuaue, Sileſiis expetitum, boni ſucci, facilisque digeſtionis, *Schwenkfeld* (b). Hungari lacti, iuri incoquunt. Delicatiſſima ex eo farcimina conficiunt.

§. XXXIII. Nec medicatae deſunt Grano Mannae vires, ob quaa varia ex eo aegrorum vſibus poſſent parari remedia, *Decocta* antiphlogiſtica, reſoluentia, refrigerantia, nutrientia in acutis morbis, et in acrimoniis inſeruientia. *Gelatinae*, *Iuſcula*, *Emulſa* nutrientia, demulcentia, roboran-
tia

(a) Cnapius Lexicon Pol. p. 1131. (b) Schwenkfeld Catal. Stirp. Siles.

tia, reconualescentibus, cacochymicis, haemoptoicis, tabidis, phtyficis viliffima. Et fi grana *Sago*, vt et *gelatinam de Sago* Angli Medici tam in acutis quam in confumtiuis morbis, aegris fuis in cibum concedunt; cur familiaris Hungariae Mannae grana eiufque gelatina nutriens, refrigerans, demulcens, et roborans negligitur? cum haec lacti, vel fi indicatum eft, vino incocta, dat tam bonum tamque fapidum, imo fapidiorem cibum quam *Cycas* Iaponica *Ledel* (c) *Schreber* (d) Decoctum Mannae ad emolliendas tumidas et induratas mammas mulierum commendat *Ionfton* (e) Mannae in pingui iure Decoctum illitumque, mammarum duritiem foluiffe reliquit *Schwenkfeld* (f).

ADMONITIO.

§. XXXIV. Si gramen Mannae magis equis in pabulum granum, eius frequentius hominibus in cibum cederet, quam hactenus, maiori copia per culturam in omnibus Regionibus proueniret, nec opus

C 4 effet

(c) Loco citato. (d) Loco citato. (e) Ionfton in fragm. Herbaril. (f) Loco citato.

esset semen aliarum Regionum mutuari, cum aestate tanta quantitate posset colligi, quanta serendo sufficeret. Praeterea cum hoc gramen loca humidiora adeo amet, vt extra haec exsiccetur penitus, quantum parceretur sumtibus saepe inutiliter ad horum exsiccationem expendi solitis, si gramine Mannae implantarentur.

EXPLI-

EXPLICATIO ICONIS

Ex Cel. Schreber Gram. desumtae.

1. Inferior Graminis Mannae pars cum radicibus.

2. Simplex panicula, cum spicis, nondum florentibus, haec panicula a primo geniculo ob spatii angustiam abscissa est.

3. Portio paniculae compositae cum flore.

4. Duae glumae.

5. Glumae pars exterior. 6. Glumae pars interior.

7. Stamina, pistilla, nectarium, volumine auctum.

CASVS PRACTICI

Varia in *morbo ſacro*, celebres in arte Medica viri laudant remedia.

Quaedam horum ablata cauſa malum integre curant.

Alia inſultus epilepticos ita compeſcunt, vt cauſa procatharctica ablata, proegumenam ſopitam quaſi teneant.

Saepiſſime morbus pertinaciſſimus omnem artis eludit operam.

Puluerem foliorum Aurantii in Morbis conuulſiuis adeo extollit Vir tot nominibus Medicinae carus Magnificus de HAEN, vt ſi quos non iuuet cauſam in aegro, non in remedio quaerendam iudicet.

Radicem Valerianae, maiori tamen, doſi ad dr. j. ij. vt efficaciſſimum io hoc malo remedium celebrat felici medendi methodo Celeberrimus D. Ioſ. QVARIN. (*a*).

Florum Bugloſſi vires antiepilepticas annotaſſe reperio neminem.

Lau-

(*a*) In Noſocomio Cariſſimorum Fratrum Miſericord. in quo praeter medendi ſuae methodum, quotidiana praxi confirmatam, multa ſaluberrima, conſilia practica, candido vultu communicat frequentibus ſuis Auditoribus, quibus me interfuiſſe gratus ſemper reminiſcar.

Laudatos tamen a Doctiſſimo V. D. M. fideliſſimo pulcre adhucdum memini.

Et iisdem quosdam curatos docebunt caſus appoſiti.

Si aliorum experimenta, meis reſpondebunt votis, habebo, de quo gratuler.

Sin minus, caſus ſincere annotaſſe ſufficiat.

Flores exhiberi poſſunt in infuſo Aquoſo, Vinoſo, Spirituoſo. Vſi ſunt in vtroque caſu, infuſo ſpirituoſo ſequenti forma praeparato.

Rec. Florum Bugloſſi recenter collecti m. iij.
Infunde ſp. de foece Vini parati Lib. j.
Vitro probe clauſo macerentur per triduum.
S. Sumat vaſe inclinato omni mane cochl. j.

CASVS I.

Vir humanioribus litteris excolendis deditus, ſtatura inter longam et depreſſam media, temperamenti ſanguineo - colerici natus annos XXXV. vllis vnquam obnoxius morbis, praeter epilepſiam, cuius paroxiſmos, ab ineunte aetate ignota ex cauſa, fere quolibet anno ſemel, bis expertus

tus eſt; aliquando tamen toto anno morbo liber fuit. Anno 1760. graui mea in vicinia defunctus paroxyſmo, incepit remedio ſpirituoſo vti, omni mane per duos menſes, cochleare vnum commune ſumens. Ab illo tempore paroxyſmo liber valet athletice quinquagenarius ſeniculus.

CASVS II.

Iuuenis XVII. annorum temperamenti ſanguinei, Nobiliſſimi adoleſcentia, feſtiuus et fideliſſimus famulus. Ex terrore epilepticus factus, poſteaquam per plures annos paroxyſmos epilepticos expertus fuiſſet, cum duodecimum aetatis annum ageret, Anno 1769. Menſe Auguſto ſumſit mane infuſi ſpirituoſi cochl. j. Paroxyſmus ab eo tempore nunquam rediit.

De caſu hocce vt eo certior euaderem, rogaui ab *Expertiſſimo Phyſico D. Samuele Wáſarhelyi* Iuuenis noſtri anamneſin. Miſit optimus amicus ſequentem: A. S. Puer adhuc in Patria, bubulos, quos cuſtodiae ſuae commiſſos habebat, in prata illicita euadere ſinens, a cuſtode huius loci adeo territus eſt, vt breui domum ſuam repetens, paroxyſmo epileptico corriperetur,

qui

qui subinde dein etiam rediit; sed tuo remedio ita ex morbo curatus est, vt paroxysmos per integrum quinquennium expertus non sit. Nunc etiam viuit saniſſimus.

THESES PRACTICO-MEDICÆ.

I.

Cura acutorum ab emetico, vel purgante, aut sudoriferis incipiens, aegris nociua plerumque est.

II.

Decocta antiphlogistica copiose epota, Venae Sectiones pro necessitate repetendae, epispastica, clysmata, vesicantia, motum humorum minuunt, acre temperant, vel expellunt, obstructa resolvunt.

III.

Si febris communis Decocto infusum Rad. graminis Taraxaci Flor. Rheados, Buglossi cum nitro Rob sambuci. Si febris ambigua cum tussi adest, cum his Oxymel simplex. Si inflammatio pectoris aegros vexat Oxymel simplex cum stibio diaphoretico, Decocto infuso mixtum, successu felicissimo exhibet Praeceptor perpetua veneratione colendus MAGNIFICUS de HAEN.

IV.

IV.

Si vſu remediorum antiphlogiſticorum, prægreſſis depletionibus & euacuationibus debitis, febris pergat, vires langueant, Cortex Peruvianus in vſum vocandus.

V.

Si cum delirio pulſus debilis celer inaequalis, et ſimul adſunt ſubſultus tendinum, tremor, oculi caliginoſi, conuulſiones; moſcho quosdam ex orci faucibus ereptos fuiſſe ſummo gaudio vidi in Noſocomio Fratr. Miſericord.

VI.

Nonnunquam omnibus adhibitis ſaevae inflammationes haud miteſcunt. Oleoſa tunc mira praeſtant quandoque. MAGN. de HAEN.

VII.

Criſium obſeruatio ſummum in morbis acutis habet vſum.

VIII.

In Rheumatiſmo quantumcumque clament aegri pertinaciſſimis vexati doloribus, Paregorica exhibenda non ſunt.

XI.

IX.

In tuffi conuulfiua hac hyeme epidemice graffante multis emollientia demulcentia cum incidentibus iuncta, incantamenti inftar profuerunt.

X.

In Haemoptoe a fuppreffis Haemorrhoidibus hirudines adplicati plus iuuant, quam multae venae fectiones.

XI.

Fluxum menftruum e propria & peculiari Uteri plethora oriri probabilius eft.

XII.

Male infantibus cibla nutricibus mafticati ingeruntur; fic enim plus nutrices quam infantes nutriuntur alimento.

MENDA SIC EMENDA.

Pag. 5.	*lin.*	11.	eius adde in
7.	in notis lin.	1.	vitriolaticis *leg.* vitriolatis.
9.	*lin.*	9.	alios *leg.* alias.
10.	*lin.*	16.	Mayis *leg.* Mays.
33.	*lin.*	14.	faga *leg.* fago.
35.	*lin.*	17.	violaceum *leg.* violarum.
36.	*lin.*	11.	magis *adde* sanitati.
37.	*lin.*	15.	gramine *leg.* gramen.
47.	*lin.*	11.	summo *adde* cum.
48.	*lin.*	8.	adplicati *leg.* adplicatae.



Sc. Mich. Dufslai Wiena 1775